



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XXXI. Ioannis Papae VIII. Ad Richildim Avgvstam. Vt imperatorem
coniugem suum ad opem ecclesiae quamprimum ferendam hortetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA XXXI.
 IOANNIS PAPÆ VIII.
 AD RICHILDIM AVGVSTAM.

Vt imperatorem coniugem suum ad opem ecclesie
 quamprimum ferendam hortetur.

Ioannes episcopus Richildi Augustæ.

MVLTO peracto iam tempore tam ad spiritualis filii
 nostri Augusti, quam ad vestram inuisendam cle-
 mentiam, missos apostolicæ sedis destinare desideravi-
 mus: quatenus & de vtriusque sospitate latiores efficere-
 mur, & nobis commissæ, sanctæ scilicet matris vestræ, Ro-
 manæ ecclesie calamitates atque oppressiones, quas a
 Christianis & ab iniquis paganis sine cessatione patimur,
 ad memoriam reducentes, ab eodem Augusto consola-
 tionem & optatam opem, sicut sperabamus, tandem ali-
 quando consequi mereremur. Sed omnium viarum adi-
 tibus a malis obsessis hominibus, plus nos compulit do-
 lor lacrymas fundere, quam locus pateret ad vos nostros
 missos dirigere: quia ex vno, sicut diximus, Christiani,
 ex alio pagani ita nos crudeliter persequuntur, vt solis
 mœnibus Urbis relictis, omnia in circuitu longe late-
 que consumpta habeant, & in solitudinem prorsus red-
 acta. A quibus per tantum imperatorem releuari iam cre-
 debamus, & recuperationem aliquam vel medelam adi-
 pisci summopere præstolabamur. sed ecce pro peccatis
 nostris aliis negotiis implicatus, nobis hæctenus distulit
 ferre præsidium. Et quia iam sustinere non possumus, glo-
 riam vestram multipliciter deprecamur, vt vice nostra
 fretæ, sumatis in femineo sexu virile pectus, & pro amore
 sanctorum apostolorum Petri & Pauli, quorum ita est
 deuastatum terminum, vt magis libeat flere, quam dice-
 re, tandiu apud piissimum imperatorem nostrum infi-
 statis, quousque & contra paganos opem præbeat, &
 Christianos compescere gaudeat. Quoniam ideo illum
 tanto diademate ab olim quidem a nobis expectatum ac
 præelectum decorare curauimus, vt sanctæ Romanæ ec-
 clesie recuperatio & securitas, quam ademptam doleba-
 mus, per pium studiū eius, quo semper fruebatur, rediret.

Concil. Tom. 24.

F ij

Quapropter, carissima filia, per Deum vos adiuramus, opportune importune insistite, vt antequam in ipsa vrbe Romulea aliud periculum, quod Deus auertat, proueniat, manum suæ defensionis exhibeat, & hanc terram, quæ sui imperii caput est, ad libertatem reducat, ne quando dicant gentes, vbi est imperator illius? quatenus & nobis spes euadendi, viuendique remaneat, & priusquam hiems vel ver transeat, contra eosdem paganos Romæ sint illius exercitus præparata subsidia. Alioquin aut omnino peribunt, aut coacti, vt solam vitam redimere valeamus, eis qui nobis dominantur, quomocumque subiciemur. Data iv. Idus Februarias, indictione x.

EPISTOLA XXXII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CAROLVM CALVVM IMPERATOREM.

Mittit imperatori palmam, & malis, quibus a Saracenis prauisque Christianis vrgebatur, expositis, auxilia petit.

Ioannes episcopus Carolo imperatori.

INTER cetera, quæ vera crescente religione ab olim ecclesiastica facta vestra pietati duximus intimanda, videntium vobis palmarum ecce brauium mittimus, quod Apostolus non omnes qui currunt, sed vnum propter vnitatem legitime certantium accipere protestatur. Quapropter, fili carissime, quasi præsentis, incuruatis genibus & summissis capite deprecamur & obsecramus, vt ita legitime celsitudo vestra in huius sæculi stadio pro Christi ecclesia currere, ita decertare contendat, vt non solum brauii victrix vestra dextera adornetur, verum etiam sacratissimum caput diademate gloriæ decoretur: imo pro visibilibus his & corruptibilibus, non tantum palmam, sed & coronam accipiat incorruptam. Sed heu, clementissime imperator, ecce dum ad alia intenditis, mater vestra, sancta videlicet hæc ecclesia, quæ vos spiritualiter genuit, periclitatur, & in nouissimum deuenit exitium: hinc inde non solum tabernaculis hanc Idumæorum & Ismaelitarum, & Agarenis quotidiano gladio & captiuitate in interitum impellentibus, verum etiam falsis filiis Sarra,

1. Cor. 9.